

runt, Montem Runtanæ [a], ad eorum contumaciam perpetuo domandam, sub anno habitaverunt præfato.

Quando dominus Otho venit Faventiam, et quando Faventini octo milites dederunt ei, quos ipse misit ad impugnandum Federicum Rogerium.

CAP. CXXXIV.

Anno videlicet MCCX / mense februario / venit dominus Otho in civitatem Faventiae [A], cui benigne rogati cives / VIII promiserunt milites atque dederunt; quos ille cum aliis militibus Italiae, sub Azolino marchione in Apuliam misit ad Federicum Rogerium regem Apuliae impugnandum. Verum, quia hunc regem dominus Papa sub protectione Sancti Petri a patre et matre receperat, dictum imperatorem, ut ab inquietatione tali cessaret, admonuit saepissime [b]. Demum ipsum nequaquam excommunicavit; atque excommunicatum per totum imperium denunciari præcepit, omnes ejus fideles a juramento fidelitatis esse absolutos ostendens [B]. Quare principes Germaniae / pro majori parte / regem dictum manutenere contra imperatorem juramento firmarunt.

L'issum

L'essantem

Quando pax et concordia inter Salinguerfam et Marchionem est reformata.

CAP. CXXXV.

Anno Domini MCCX / ad imperium Othonis imperatoris (96*) / mense aprilis / pax inter præfatos inimicos, Deo largiente, est reformata [C].

Quando rex Ragonensis [c] et rex Hispanus signum Sanctae Crucis levaverunt contra regem Massamutum [d].

CAP. CXXXVI.

Anno Domini MCCXII / in mense Junii rex Ragonensis et rex Hispanus / cum aliis principibus ultramontanis / signum Sanctae Crucis levantes, ex Romani mandato Pontificis, aggressi sunt regem Massamutum.

[a] Runtanae, C. M.; Rontanae, C. V. Locus non procul ab oppido Braxichellae. — [b] admonuit saepissime, C. V.; amovit saepissime, C. M. — [c] Ragonensis. Sic Codd., pro, Aragonensis. — [d] regem Massamutum, Codd. M. et V.; secundo loco, habet Masamutum, C. M.

[A] De hoc Othonis Faventiam adventu non meminit Cl. Muratorius.

[B] Otho ab Innocentio III anathemate percussus est sub finem anni 1210.

[C] Hoc anno Ravennates petierunt a Caesenatibus ut pacem inirent cum ipsis, cum Faventinis et aliis, atque Archiepiscopo Ravennati restituerent homines et castra occupata. Documentum extat in Archiv. Archiep. Rav. signatum ann. 1210, caps. P., n. 8410, ut colligo ex indice chartarum ejusdem, confecto per cl. virum P. abbatem Ginannium.